

Jacob Fabricius


Jacobus Fabricius hoc tempore Decanus, coeteriq[ue] Doctores & Professores Collegii Medici, In Academia Rostochiensi, S.P.D. Omnibus Lecturis : [P.P. sub sigillo ... anni Iuliani XXVII.]

Rostochi[ij]: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742564185>

Druck Freier  Zugang






F. J. ¹⁰⁵
F. J. ~~#~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶

1008





12.

JACOBUS FABRICIUS

hoc tempore

DECANUS,

coeteriq; Doctores & Profes-
sore COLLEGII MEDICI, in
Academiâ Rostochiensî,

S. P. D.

OMNIBUS LECTURIS.




ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXVII.





PLutarchus in Morali-
bus, quæ omnis elegan-
tis doctrinæ penus sunt,
libello, *Quomodo quis*
suos in virtute parandâ sen-
tire possit profectus, sapien-
ter & scitè admodum monet, εν τῷ Φι-
λοσοφῆν ὅτι εἶναι δεῖν ληγῆσις ἀλείμματι περὶ πᾶσι, ἔδὲ σιγ-
μῶν, nullam in Philosophando subsistere de-
bere cessationem, sed planè æqualiterq;
ad ulteriora semper, absq; offensâ, usu ra-
tionis ac doctrinæ, progrediendum. Quod
etenim vulgò circumfertur,

Si tu vel parvum pergas superaddere parvo,
idq; frequenter agas, magnum cumulabis acer-
vum,

non in pecuniâ augendâ duntaxat locum
habet, sed & ad omnia pertinet, imprimis
verò ad virtutis augmentum, quum ad do-
ctrinam assiduâ & efficaci assuefactione
nullo non momento quispiam fertur,
plu-

plurimum conducit. Eam verò rem ma-
xumoperè promovet amor & studiũ ipsius
virtutis, quæ verè est, ut Menander dixit,
Βασιλειῶν τῶν βίῃ, vitæ baculus, cui soli tanquam
firmissimæ basi universum humanæ oeco-
nomiæ incumbit præsidium: in quâ laus
omnis & perfecta reposita est felicitas: cuius

— *semper possessio perstat,*

quando aliæ incertâ sorte feruntur opes.

Quia autem ardua & acclivis admodum
est virtutis via, eam facilem, planam & ex-
peditam facit laudis ac gloriæ cupiditas, &
honestâ, Hesiodo laudata, æmulatio, quæ ta-
men ab ambitione turpi, aut falsâ persua-
sione sapientiæ & eruditionis longissimè sit
remota: est etenim virtutis ipsius vis ma-
xuma, quæ sui amatorem & admiratorem
subinde magis atq; magis, veluti calcaribus
subditis, incitat, nec unquam conquiesce-
re sinit; ut meritò heic tralatitium illud &
pervulgatum nimis, *Honos alit Artes, itemq;
Egregios invitant præmia mores,* locum sortia-
tur. *Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
præmia si tollas?*

A 2

Proin-

Proindè naturâ ita comparatum est, ut omnes incendamur ad studia laude & gloriâ, quæ generosos animos ad præclaras actiones exsuscitant; quò & respexerunt, qui Musarum altricem dixerunt Euphemiam. Nullus deniq; stimulus acrius urget currentem, quàm æmulatio & contentio honesta, sine quâ nescio quomodo ferè friget omnis laudabilis actio: quippe studiorum æmulo & velut rivali, qui alterius ingenio ac virtuti cedere nolit, inflammatur sæpè animus, ut labore atq; jugi exercitio ignavia penitus elidatur, & si qua cessatione alacritas elanguit, iterum vires sumat, neque amplius defatigetur, aut indè alijs negotijs avocetur. Neq; tamen idè alterius laudi invidendum est, siquidem, ut ait Cicero, nemo qui suæ confidit virtuti, invidet alienæ. Procul autem hinc *φιλανθία* turpis facessere debet, quod nihil ferè pejus aut majori dignum odio bonis auribus detur, quàm si quis nimis arroganter de se ipso, vel ipse sentiat, vel loquatur; quin & falsâ ita opinione sui imbuti seiplos quodammodo in
virtu-

virtutis viâ remorantur & detinent, ut sæ-
penumerò in medio circumagantur & sub-
vertantur cursu. Est siquidem opinio, se-
cundum Biantis dictum, *ἐγχεῖν ἀρεσκότης*, im-
pedimētum profectus, & Quintilianus re-
ctissimè pronunciavit, multos ad sapien-
tiam pervenire potuisse, nisi se jam istuc
pervenisse putassent.

Sic itaq; pergendum, sic in virtutis or-
bitâ progrediendum, ut per desidiam aut
ocium nunquam conquiescamus, neque
longâ inde aut diurnâ statione abeamus;
sed memores veteris istius, quod Cirræis
datum, oraculi, quo dies noctesq; bellige-
rare jubebantur, noctuq; dieq; contra vi-
cia & inertiam depugnemus, socordiam
excutiamus, neq; ab hoc proposito, veluti
inducijs factis, internūcijs quibusdam (vo-
luptates intelligo, oblectationes, aut alie-
na negotia) divellamur, sed nullâ admiffâ
intercapedine indefinenter ad meliora fe-
ramur. Sicut enim calamus ab initio ma-
ximo & pulcerrimo incremento adsurgit
in æquabilem & cōtinuam longitudinem,

magnisq; intervallis exigua admittit Inter-
sticia: dein ubi se in altum erexit, veluti qui
ob anhelitus angustias in conscendendo
sublimi loco animum despondent, propter
imbecillitatem suam multis ac crebris no-
dis intercipitur, spiritu ictum tremoremq;
patiēte: sic qui initio felici conatu ad bonas
Artes & virtutes contenderunt, nisi per-
gant, aut crebrò impingant, vel ab instituto
retardentur, ij ad extremũ omninò despe-
rant, aut in diversam partem ad mala exi-
tiosè impelluntur. Operæ ergò precium
est, ut


qui cupit optatam cursu contingere metam,
quidquid agit, seriò agat, & benè ac gene-
rosè agendi propositum semper retineat,
nunquam intermittat, aut desidiosè subli-
stat. Est enim vita hæc nostra perpetua
quasi palæstra, in quâ, adversus omnes no-
vercantis Fortunæ impetus, ipsamq; etiam
Naturæ inclementiam, pancratium ex-
erceatur: estq; virtus ipsa habitus, secun-
dum Aristotelem, crebrâ actione & con-
suetudine longâ comparatus, ex quâ pro-
pemo-


pemodum in naturam coaluit, & Sapientiæ
studium, autore Socrate, continua veluti
venatio quædam est, in quâ percipiendâ
multiplex & assidua continuanda est exer-
citatio. Quemadmodum enim venatores
in nive pernoctant, inq; ipsis sæpe horridis
montibus sese subinde uri, aut aliter adfici
patiuntur: pariformiter sapientiæ & virtutis
studiosus, neququam desidiosus erit, mul-
tò minus noctem somno, & diem ludis cõ-
paratam, sed noctem sapientiæ hospitium,
diem ejusdem credit castra, ne si quandoq;
per incuriam aut ignaviam ex præsidio ce-
dat, aut è custodia longius abeat, etiam in-
vitus deindè & præter voluntatem suam
transversus rapiatur, atq; à virtutis tramite
in viciorum semitam exorbitando desle-
ctat: perinde ut vires remittentibus nau-
tis, ac remos inhibentibus, remigium cessim
abit, ac aquarum, ventorumq; fluctibus &
flatibus propellitur, adversus quos rectus
clavus ^{redduam} perpetuò tenendus est, do-
nec ad speratum portum perveniatur.


Rectam porrò istius virtutis viam lauda-
bili-


biliter ingressi fuerunt hactenus, & cōstan-
tissimè adhuc tenent viri quidam, ab incul-
patâ vitâ & honestis moribus, bonarumq;
literarum singulari peritiâ commendatis-
simi, eosq; in Philosophiâ & Medicinâ fece-
runt progressus, ut Artis pœoniæ Candi-
datis adnumerati, honestâ quadam *Philosophiæ*
eruditionis suæ ac virtutis testimonium à
Collegio nostro sibi decerni meritissimè
optent & obtineant, nomina sua consueto
& recepto more professi. Quare hoc pu-
blicitus significare volui, ut si qui alij plu-
res, juxta cum illis, virtuosi, solertis & indu-
strii animi *Βραβείον*, elegantissimæ æmulatio-
nis exemplo, expetunt, me quoq; conveni-
re, & quod secum cōstituerunt, mihi aperi-
re tempestivè queant; quibus cunctis & sin-
gulis totius Facultatis Medicæ benevo-
lentiam, & omnia humanitatis officia, lu-
bentissimo animo polliceor. P. P. sub si-
gillo Decanatus nostri, ipso die Paschato,
anni Juliani XXVII.











pemodum in naturam coaluit, &
studium, autore Socrate, contin
venatio quædam est, in quâ pe
multiplex & assidua conti nuand
citatio. Quemadmodum enim
in nive pernoctant, inq; ipsis læp
montibus sese subinde uri, aut a
patiuntur: pariformiter sapientia
studiosus, ne utquam desidiosus
tò minus noctem somno, & die
paratam, sed noctem sapientia
diem ejusdem credit castra, ne
per incuriam aut ignaviam ex p
dat, aut è custodia longius abeat
virtus deindè & præter volunta
transversus rapiatur, atq; à virt
in viciorum semitam exorbita
etat: perinde ut vires remitter
tis, ac remos inhibentibus, remig
abit, ac aquarum, ventorumq;
flatibus propellitur, adversus
clavus *redduam* perpetuò tener
nec ad speratum portum perv
Rectam porrò istius virtutis

